

13  
I. N. D. O. M.

Differtatio Academica

De

*Moralitate Exemplorum,*

---

Quam

*Consensu Amplissimi Collegii Philosophici  
in Regia Academia Aboënsi,*

Præside

Mag. *Johanne Bilmark,*

Histor. & Philos. Pract. Professore Reg. & Ordin.  
Publice examinandam sistit

*Stipendiarius Regius,*

*Magnus Gislow,*

Smolandus,

In *Auditorio Majori* die VIII Martii

Anno R. S. MDCCLXXXVI.

h. a. m. c.

---

*Aboæ*

Typis Viduæ Reg. Acad. Typogr. J. C. Frenckell.

*J. C. Frenckell*

*Viro*

Admodum Reverendo atque Præclarissimo,


D:no Mag. *Danieli Bexel*,

Ecclesiarum, quæ Deo in Wilstad, Wåthult & Båraryd  
colliguntur, Pastori vigilantissimo, nec non Præ-  
posito accuratissimo,

Hasce studiorum suorum primitias, ob maxima in se  
collata beneficia, in gratissimi animi tesseram, qua par est  
observantia, offert

*Admodum Reverendi Nominis*

Cultor humillimus  
*Magnus Gislow*



## *Præfatio.*

**S**icut non omne, quod micat, aurum est; ita nec quævis actio, quæ animum oculosque nostros pascit, reapse semper est bona. Ne itaque apparentiarum fucō in officiis exquirendis decipiamur, actio quælibet, expensis motivorum ac circumstantiarum momentis, ad tenorem legum erit exigenda, quo dilucide constet, an illa his vel conveniat vel repugnet, adeoque vel suscipienda sit, vel omittenda. Comparisonem hanc optime instituit ratio nostra, facultas illa a DEO O. M. nobis concessa, qua indolem rerum & harum inter se nexum perspicimus, quæque experientiæ ministerio adjuta, quid verum aut falsum, bonum aut malum in obviis sit casibus non minus celeriter, quam vere dijudicat. Enimvero fidam hanc vitæ magistrā multi mortalium partim ex incuria, partim ex animi levitate parum curant, quorum alii adfectuum suorum lenocinia tantum audiunt, alii autem ea potissimum agunt, quibus occupari vident Viros, propter vel probitatem vel dignitatem a se magni faciendos. Et quum hæc mimorum cohors, quæ exemplis magis, quam præceptis, regitur, sit haud exigua, in animum induimus, specimen edituri Academicum, de Moralitate exemplorum, pro ingenii ac facultatum tenuitate, nonnulla disserere; sperantes, innoxios hosce conatus Benevolo Lectori non plane displicituros.

§. I.

Quamvis sensus verborum, in rubro dissertationis occurrentium, vix quemquam fugere possit; monuisse tamen juvabit, quod sicut per Moralitatem actionum intelligimus earum vel bonitatem vel pravitatem; ita definiiri possint exempla, quod sint actiones singulares, de quarum indole morali ex habitu earum externo judicamus, adeo ut auctoritas personæ agentis augere præstantiam actionis bonæ, malæ autem pravitatem imminuere, quin & subinde tollere censeatur. Nos itaque non moramur ea exempla, quæ in dogmaticis cujusdam illustrationem fingi solent, a Cajo, Titio, Sempronio &c. desumpta, quippe quæ in praxi morali nimis sunt jejuna atque exsanguia; sed ad exempla referimus vera facta, quæ homines vel ipsi viderunt, vel ex Historiæ penu sibi cognita reddiderunt, in quibus non modo ipsa spectatur actio, sed simul in considerationem veniunt cum personæ agentis conditio & auctoritas, tum aliæ circumstantiæ. Et quum hæc faciant, ut judicia de virtutibus ac vitiis discursiva evadant quasi intuitiva, digna sunt, quibus peccatus, generoso honesto incoctum, se in stadio virtutum confirmet. Quid? Quod hæc exempla suo splendore sensus nostros externos primum perstringant, tum imaginationem excitent & denique adfectus commoveant; quo quidem modo torpor naturalis sensim excutitur, & homines ad præclara facta imiranda ac vitia fugienda sollicitantur. Id quod insinuat Livius: *Illud in Historiæ lectione est præcipue salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta, in illustri posita monumento, intueri; unde tibi, tuæque reipublicæ, quod imitere, capias; inde factum inceptu, factum exitu, quod vites (a).*

---

(a) Vid. *Præfationem* DECADIS primæ *Histor. Rom.*

§. II.

Quoniam exempla sunt actiones aliorum singulares, quæ nobis obveniunt vel ut bonæ, adeoque imitatione dignæ, vel ut malæ, & proinde omittendæ; in confesso autem est, quod illarum motiva indagare raro possimus, experientia docente, cum quod minimarum rerum in egregia facta maximus interdum sit influxus, tum quod finis actionis obtentus sæpe differat ab intento; sequitur, judicia nostra de actionum ab aliis patratarum, adeoque de exemplorum, moralitate, debitam, quæ in praxi requiritur, consistentiam habere non posse. Qui enim exempla sibi constituunt actionum normam præcipuam, in hunc modum suos subducunt calculos: Quicquid plurimum meretur assensum, illud faciendum; Quicquid publicæ reprehensionis carbone non notatur, illud est licitum; Quemcunque autem in suo proposito destituit fortuna, hunc imitari nemo debet. Sed nulla harum propositionum simplicitet & absolute vera est. Sicut enim veritas non dependet a multitudine hominum, idem opinantium; ita bonitatem actionis non facit numerus simili modo agentium. Deinde multa in republica tolerantur, non quod probentur, sed quod limam non ferant tempora. Denique quod ad eventum attinet, hic infidelis admodum est magister moralitatis; quare etjam Poëta exclamat - - -  
*careat successibus opto Quisquis ab eventu facta notanda putet (a).* Eosdem enim aut similes conatus in Historiæ teatro iterum iterumque animadvertimus; his autem ex æquo respondentem eventus vix unquam cernere licet. Propter eosdem ausus sceptrum meruit alius, alius gladium vel restim. Romanorum Brutos duos cogitemus; alter Tarquinium feliciter expulit, alter Casarem vita infeliciter privavit. Imo non solum quoad eventum,

tum, sed etiam in aliis circumstantiis differunt actiones morales, quæ maxime similes videntur; quare verus est canon: Cum duo faciunt idem, non tamen est idem, seu ut PASCAL scribit: *L' exemple n' est jamais si parfaitement semblable, qu' il n' y ait quelque delicate difference* (b). Ex quibus colligo, quod illi, qui solis exemplis reguntur, veram virtutem non cognoscant, nedum ament, rationi suæ vim directricem actionum suarum denegent, quam sensibus deferunt; normam actionum adsumentes, regula quavis Lesbia incertiolem, ut agræ conscientiæ pro re nata fucum faciant.

(a) Vid. OVIDII *Heroid. Epist. II. v. 85, 86.* (b) Vid. *Les Pensées de Pascal 21.*

### §. III.

Sunt forte, quibus displiceat, pretio exemplorum quidquam detrahi, quare eadem suo restitutori loco, parcœmiam urgent notissimam: *Quod exempla plus valeant, quam præcepta;* quam ab experientia confirmari putant. Citant vero inprimis morem veterum Lacedæmoniorum, qui liberos suos ad frugalitatem deducturi, Helotas, servorum genus, inebriarunt, eosque vino ac potu madentes, horridos & sui nequaquam compotes, liberis suis deridendos proposuerunt. Enimvero si præcepta & exempla in se spectentur, illis utpote conclusionibus ex relatione actionum ad legem rite deductis, tanto major vis, quam his, inest, quanto argumenta apodictica prævaleant probabilibus, & notiones distinctæ sint confusis præstantiores; adeoque parcœmia allata erit intelligenda non de eo, quod fieri debet, sed quod communiter fit, propterea quod major hominum pars magis ideis ducatur

tur sensualibus, quam ratione regatur, & magis ad aliorum mores, quam ad sua attendat officia. Quod denique ad citatum attinet Lacedæmoniorum institutum, nec hoc præceptorum præ exemplis præstantiæ quicquam derogat; probabile enim est, hinc severam Spartanorum disciplinam, præter barbarum exemplum, valuisse ad temperantiam liberis instillandam, illinc vero, hoc sine illa frugalitatis scopulum fuisse. Falleret enim, quisquis virtutis sensum suis ingeneraturus alumni, ipsis omnes virtutum quorumvis angulos præberet spectandos.

#### §. IV.

Monent præterea illi, qui in præxi vitæ exemplis multum tribuunt, talia esse desumenda non a quibusvis promiscue hominibus, sed viros esse inspiciendos, propter vel suam probitatem vel munerum dignitatem conspicuos, præcipue Principes & alios in eminentiori honorum gradu constitutos. Et quod ad Principem attinet, dudum invaluit præcæmia: *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Quod ita fiat, recte omnino fieret, si lucem factorum Principis vere bonorum magis observarent cives, quam umbram actionum quarundam singularium, intra quam se recipiunt, quoties vel genio suo convenienter vivere volunt, vel existimationem suam tueri, dum in illicitis deprehenduntur actionibus. Cogitare autem hi deberent, quod quamvis Princeps meritis ac honoribus longe emineat, homo tamen sit, qui suos interdum patiatur manes, & quam sit arduum inter potentiæ illecebras & adulatorum obsequia sanctitatem servare integram. Vita itaque Principis, quam perpetuam PLINIUS vocat censuram (a), non est morum cynosura ex omni parte idonea, ad quam sese convertant cives; id quod

fatis superque comprobatur Historia. Maximis quidem laudibus ab Eruditis sui ævi celebratur Romanorum Imperator AUGUSTUS; ejus tamen vitam in iis, quæ ad honestatem spectant, execratione potius, quam imitatione dignam esse, in Historia Romana versatum fugere potest neminem. Quid? Quod tempora inciderint, quibus Principes in negotiis nonnullis propter felicitatem publicam, quam vehementer cupierunt promotam, non strictè observaverint, quid sibi & æquitati conveniret; sibi igitur permittentes, quod suis nequaquam concederent civibus. Hoc ipsum in matrimoniis Principum, ut alia reticeam negotia, præcipue fieri solet; jubente enim ratione status, matrimonia subinde admittuntur inter personas, quibus propter nimis propinquam vel cognationem vel affinitatem eadem censentur interdicta. Sic EMANUEL, Lusitaniæ Rex, potentiam patriæ suæ aucturus, non solum duas successive Sorores, ISABELLAM & MARIAM, Hispaniarum Regis, FERDINANDI Catholici, filias, in matrimonium duxit, quarum ISABELLA fuit vidua ALPHONSI, EMANUELIS, ex fratre JOHANNI II nepotis, sed tertio adhuc conjugio idem EMANUEL sibi junxit ELEONORAM, quam duarum priorum uxorum soror, JOHANNA, ex PHILIPPO Austriaco pepererat. Imo non solum hodierna Portugalliæ Regina MARIA I. Patruo suo PETRO III. Lusitaniæ Regi nupsit, sed horum filius primogenitus, Princeps Successor, JOSEPHUS, in matrimonium duxit materteram suam, Principem MARIAM FRANCISCAM. Notum quoque est matrimonium Regis nostri gl. mem. GUSTAVI. cum defunctæ Conjugis suæ MARGARETÆ Sobrina, CATHARINA STENBOCK, quod ex Antistitum sententia admittebatur, quia, præter alia, *hac ratione Regionum heredum & universi regni bono, quieti, dignitati, internæ conjunctioni, paci & concordie consuli posset* (b).



Certum autem est, quod cives, qui hæc imitari vellent exempla, Phaethontis subirent fatum.

(a) Vid. *Ejusd. Panegyri. C. XLV. v. 6.* (b) Vid. *LOCENII Historia Svec. p. 329.*

§. V.

Si, crescentibus honoribus, simul etiam incretcerent hominum virtutes ac perfectiones, proxime ad præcepta moralia accederent exempla; sed quum huic præsumptioni non suffragetur experientia, docens, quam difficile sit, in magna ac perpetua fortuna conservare morum innocentiam; nec singula illustrium Virorum exempla sunt imitatione digna. Dabito autem, an major in his casibus sit culpa vel præeuntium vel subsequantium. Ea enim est multorum animi levitas, ut Siderum istorum Politicorum non virtutes, sed vitia observent, atque hæc in exempla trahant. Quam multorum ne Atheniensium peccatoribus eundem invidiæ stimulum, quo ipse agitabatur in opprimendo ARISTIDE, communicavit THEMISTOCLES; contra ea autem ARISTIDIS justiciam atque abtinentiam, qui imitari vellet, nemo est inventus. Imo incidunt subinde tempora, quibus Princeps ad illustrium Personarum vitia, quin & flagitia, connivere cogitur, tum intuitu meritorum partim exstantium, partim adhuc speratorum, tum quod familiarum splendori ac munerum dignitati sit parcendum; quo utroque in casu medicina foret ipso morbo gravior; quamvis Principem non fugeret, quod viciorum impunitas in exemplum vergere posset. Contingit etiam aliquando, ut illustres viri CURIOS simulent & Bacchanalia vivant; aliam præ se ferentes personam, dum in publico versantur munere, aliam vero dum ad pri-

privatos secesserunt lares; in illo tam integri ac circumspēcti, quam intra hos nihil non suo permittentes genio; ceteris tanto nocentiores civibus, quod in eo deficiant, in quo alii ad imitationem potissimum solent sollicitari. CATONEM Censoreum tanti fecerunt Romani, ut eum non laudandum modo, sed exquisitissimis etiam laudibus superiorem crederent, & SENECA ipsum vivam Virtutis imaginem appellaret. Et certe, si ipsum ut Senatorem spectemus, fatendum erit, eum & virtutis & patriæ suæ fuisse amantissimum; qui contra, intra familiæ suæ circum abditus, nefariis quibusvis modis suæ & avaritiæ & libidini satisfacere non dubitavit. Hos juxta sunt ponendi, quos quidem ut numina tutelaria sui suspiciunt cives, sed qui tamen vitam suam ex diversa circumstantiarum ad se relatione componunt, in adversa fortuna tam animo dejecti & rationi adhærentes, quam in secunda supra modum feroces & adfectibus servientes. Quamvis vero illustria exempla promiscue non sint commendanda; nec sic tamen Scriptori ex recentioribus, ita disserenti, plane assurgimus: *Qu' est ce que les bonnes mœurs? C' est une conduite réglée sur la connoissance & l' amour de la vertu. Je dis la connoissance & l' amour; car faute de connoitre la vertu, on n' a que les mœurs du peuple, & faute de l' aimer, on n' a que les mœurs des Grands, c' est à dire, qu' on n' en a point (a).* Sicut enim in Historiæ theatro occurrunt personæ, quæ in honorum culmine sese impotenter gesserunt: ita aliæ in eodem gradu sistuntur, perpetuo virtutum jubare conspicuæ; quarum tamen hæ rarissimos, illæ autem plurimos invenerunt æmulos. Scilicet dum bene agunt homines, ad legem sese componunt; ceteri vitiis suis præsidium quærentes, exemplis majorum se nitenti jactitant, ne præ aliis habeantur improbi.

(a) Vid. *Discours Préliminaire du livre des Mœurs* p. m. XVI.

§. VI.

Exemplis aliter utuntur probi & erectioris animi homines, aliter mali & qui vitia quædam in suo fovent sinu. Illi enim, quum indolem actionum suarum ad terrorem legum antea exquirant, quam eas suscipiant; ad exempla tantum attendunt, ut perspiciant media, quibus egregii quid sit præstitum, & adjumenta habeant, virtutis semitam, quam ingressi sunt, facilius continuandi; ad sola vero exempla tanto minus sese componunt, quanto certius sciunt, multa eorum adfectui cuidam vehementiori, cui favere dignata fuit fortuna, suum debere ortum. Contra ea, mali furo exemplorum in suis palliandis vitiis utuntur, satis habentes, si alios, quos imitati sunt, nominare queant; actiones proinde æstimantes, nec ex proposito, nec ex mediis, sed ex earum in commodum sive publicum sive privatum influxu, cui tamen multum fortuiti sæpe est admixtum. Exemplis igitur multi, ceu occulta quadam vi, sollicitantur, ut aliquid præter morum præcepta sibi permittant; qua indulgentia fit, ut quod ab initio non plane placuit, sensim displicere desinat, & tandem sine ullo horrore ex proposito continetur, hominesque malum, pravis fascinati exemplis, ad postremum non animadvertant; quibus ut quoddam mali superpondium accedit, quod exempla, præsertim prava, non desinant, ubi incipiunt.

§. VII.

Quæri potest ac solet: An exemplis vis quædam obligandi insit? Qui hoc asserunt, ad experientiam provocant,

eant, quæ docere videtur, quod inferiores exempla superiorum, cives videlicet, liberi ac servi mores Principis, Parentum & Dominorum imitari ita teneantur, ut, si secus fecerint, in justam incurrant censuram. Enimvero etsi animo nostro insit proclivitas imitandi eos, quos æstimamus; ipsa tamen per se est plane indifferens, & qua talis, nulla eidem respondet obligatio. Valet igitur hoc vel illud exemplum, quod æquitati & honestati conveniat, vel saltem neutri repugnet, quod secus se habet, censetur interdictum; adeoque exemplum quodvis vim suam obligandi mutuatur a vicina lege præceptiva. Hinc etiam patet, quod calva omnino sit excusatio, ab exemplis petita; multitudo enim errantium non parit erranti patrociniū: quare illi, qui saniora sapiunt, multitudinem non æmulantur, secum probe reputantes, tum quod non omnia, quæ in civitate tolerantur, a legibus probentur, tum quod in vitæ studio dispiciendum, non quo seruum pecus tendat, sed quorsum vocet officium.

### §. VIII.

Coningit interdum, ut conscientia in moralitate actionis cujusdam exquirenda hæreat quasi suspensa, præsertim dum ab una parte sese offerunt rationes non spernendæ, quibus ab altera refragantur gravissima exempla; nam nec nos ceteris perspicaciores nos jactare decet, nec hi sine sufficiente motivo, quod tamen detegere non valemus, aliquid fecisse præsumi possunt. Hujus luculentum in lasciva Bybli habemus documentum, quæ cum fratrem Caunum ad incestum perducere aliis frustra tentasset modis, omnes dubitationis scrupulos amotura hoc inserit motivum: *Sequimur magnorum exempla Deorum (a)*. Recte autem monent Moralistæ, quod quoties moralitatem

tem actionis nostra satis expedire nequit ratio, actio erit tamdiu suspendenda, donec dubitationum fluctus subsident. Probe enim CICERO: *Bene, inquit, præcipiunt, qui vetant, quidquam agere, quod dubites, æquum sit, an ini-  
quum: æquitas enim lucet ipsa per se, dubitatio autem cogitationem significat injuriæ* (b). Scilicet qui obtorto quasi collo actionem dubiæ moralitatis suscipit, eo ipso declarat, se nec legum auctoritatem, nec suam curare vel conscientiam vel felicitatem. Aliter vero ex ambiguis his casibus sese expediunt cohortis Lojolicæ antesignani, statuentes, de moralitate actionum ab exemplis Virorum, doctrina & moribus illustrium, præcipue esse judicandum, & his tuto acquiescendum, reclamantibus licet tam ratione, quam Revelatione. Hanc autem opinionem non solum perversam, sed in Summum Numen, Cujus sanctitatem humanis postponunt factis, esse injuriam, & conscientis soporem, quem sollicita excutere deberent institutione, inducere, non e longinquo quisque videt, & satis illi docent, qui Probabilissimum Jesuitarum, illud verfuturæ humanæ inventum, severiori subjecerunt examini.

---

(a) Vid. OVIDII *Metam. Libr. IX. Fab. XI. v. 556.* (b) Vid. *Libr. I. de Officiis C. IX.*

S. D. G.



